

N^o 13
S. D. N. D. PAVLI

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE III.

BULLA

INDICTIONIS SUPPLICATIO.

nū, seu Processionū, per vniuersum orbē Christianū,


Pro celebratione sancti Oecumenici generalis

Concilij: cū adhortatione ad ieiuniū,

& Sacrosanctam Commu-

nionem: &

Gratia plenariae Indulgentiae.



PAVLVS EPISCO

PVS SERVVS SER-
VORVM DEI.

AD FVTVRAM REI
MEMORIAM.



VM PROPHE TAE

vox, nostris in auribus iugiter inso-
net, Clama, ne cesses: Idq̄ præcipuū
munus, ex onere nostris iniuncto
humeris, licet his impari, nobis incū-
bere agnoscamus: Ipsa præsentium tē-
porum calamitate, ac hæresum vndiq̄ pullulantiū pernicie,
in intimis adeo pulsamur præcordijs: vt nobis ipsis, pro san-
ctæ vniuersali Ecclesia, ac dominici gregis nostræ curæ credi-
ti, salute: nunq̄ satis operæ laboris, ac sollicitudinis, adhibe-
re posse videamur. Tot igitur, ac tantis turbinibus, aliquan-
do sedandis, nullum æque salutiferum, ac præsentissimum re-
medium comperiri semper existimauimus: quā sanctissimi
Oecumenici Concilij celebrationem indicere, ad sananda sci-
licet Catholicæ Ecclesiæ vulnera: ab impijs infidelibus, re-
probis q̄ hæreticis eidem inslicta. Vna igitur hac ratione, sa-
cratissimam synodum a nobis Tridenti iandudum indictam,
hodierna luce aperiri mandauimus: eam sine optimo, Spiritu
sancto adiuuante, conclusam iri, et optatam orbi Christia-
no salutem allaturam, deniq̄ sperantes, Oecumenicum autē

cū sit Concilium, hoc decet, a cunctis Christifidelibus, humi-
li, & contrito corde, deuotis q̄ precibus celebrari: ut quos a-
desse coram opus fuerit: hi multorum orationibus adiuti: gra-
tius in rebus Catholicæ fidei, dictæq̄ vniuersalis Ecclesiæ
reformationis ibi peragēdis: omnipotenti Deo exhibere vale-
ant obsequium. Quamobrem omnes Christifideles huiusmo-
di heretamur, ac in domino requirimus: Vt posteaquam hæ
nostræ literæ ad eorum manus peruenerint, & per locorum
ordinarios publicatæ fuerint, diligenti peccatorū suorum p-
scrutatione, & examine præuis, se ad eorum confessionem, in
hebdomada earundem literarum publicationem, immediate
sequenti, de more Ecclesiæ subeundam præparent, & illa con-
fiteantur: quartaq̄, ac sexta ferijs ipsius hebdomadæ, nec non
die sabbati leuinent, Dominica vero die proxime sequenti, Sa-
cratissimā corporis Domini nostri Iesu Christi Eucharistiā
sumant: Deum ex intimis cordis, pro Xpianorum omnium
pace, & pro salutifero, & tranquillo, ac fructuoso eiusdem sa-
cro sancti Oecumenici Concilij progressu, & perfectione, orā-
tes. Ac ut præfatos Christifideles, ad hoc etiam præmijs cæ-
lestibus inuitemus: Omnibus, & singulis Xpifidelibus ipsis,
qui pmissa adimplerint: & processionibus, ac supplicationi-
bus, Quarta, & Sexta ferijs, ac Sabbati die prædictis, eo ordi-
ne, qui in alma vrbe nostra Romæ obseruatus extitit, publice
habendis, intersuerint: aut qui aduersa valetudine, seu alio
impedimento legitimo detenti, ac Abbatissæ, Priorissæ, &
Monasteriorum quoruncunq̄ Moniales, etiam sub clausura
existentes, & eisdem processionibus interesse nequētes: Si
elemosynam, iuxta eorum deuotionem & facultatem, alicui

pauperi Xpi, pie fuerint elargiti: aut si inopes extiterint: Do-
minicam oratione, cum salutatione Angelica, quinque reci-
tauerint, & premissorum loco, pias ad deum preces deuote ef-
fuderint: Eiusdem omnipotentis Dei benignitate, ac misericor-
dia, beatorumque eius Apostolorum Petri, & Pauli, aucto-
ritate, freti: Plurimum omnium peccatorum suorum veniam, &
remissionem, misericorditer in domino concedimus, & elar-
gimur. Et ut haec omnia, ad plurius notitiam, puenire valeant,
simulque Deus ipse misericors a quibus plurimis exoretur: Omni-
bus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Eccle-
siarum Praelatis, ut quamprimum eadem praesentes literae,
ad eorum manus peruenerint: eas, seu earum transcriptum, manu
alicuius praelati, seu personae in dignitate Ecclesiastica con-
stitutae subscriptum, ubique per eorum prouincias, Ecclesias,
ciuitates, & dioceses absque ulla quaestione, cum gratijs, concess-
sionibus, & indulgentijs ibidem contentis, gratis publicari
faciant, In uirtute sanctae obedientiae praecipiendo mandamus:
Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & alijs con-
trarijs non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, quod hu-
iusmodi processiones, & supplicationes, unica tantum uice,
in Ciuitatibus, Terris, Castris, & locis, in Ecclesijs in qui-
bus praecipua animarum cura, iniuncta reperitur, duraxat
fiant & habeantur: praesentibus, postquam in Urbe, ac pro-
uincijs, Ecclesijs, Ciuitatibus, & diocesis praedictis, publi-
catae fuerint: ac Quarta, & Sexta seriae, ac dies Sabbati hu-
iusmodi praeterierint, minime ualuturis. Datum Romae
apud S. Petrum. Anno Incarnati. Dominicae. M. D. XLV.
Idibus Decemb. Pontifi. nostri. Anno Duodecimo.

L. de Torres.

B. Mott.